

tur, q. *περὶ τοὺς βωμοὺς λοχῶν*, quòd aris infidietur, & in sacrificiis frequens adsit, ut populum post sacra delectet, ventremq; saginet. Dicitur etiam *γελωτοποιός*, item *χειρόσφο*, quòd manuum agilitate risum moveat; cuius generis sunt mimi, agyrtæ, circumforanei, & alii qui histriones vocari solent, quatenus risum affectant. Latine dicitur scurrilitas à scurra, qui à discurrendo videtur nomen habere, vel à sequendo, quia sequitur opulentiores; alii vocant à græco *σκῶρ*, quòd latinis est stercus. Est igitur scurra, qui in jocando & modum & decorum negligit, nec rationem habet honestatis & circumstantiarum, ut loci, temporis & personarum. Hoc vitium taxat Apostolus Ephes. 5. v. 4. ubi tria in sermonibus vitia reprehendit, *ἀιχρότητα, μωρολογία καὶ δὲτραπείαν*, id est, *βωμολοχίαν*. Sub Augusto Cæsare scurrilitate notissimus fuit Sarmenus, eques Romanus, & sub Tiberio Cæsare Apitius Galba; de utroq; sic Juvenalis Satyra 5.

*Si potes illa pati, que nec Sarmenus iniquas
Cæsaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset.*

Scurrilis erat responsio Sotadis, ad Ptolemæum Philadelphum, sororem uxorem ducentem, *εἰς οὐχ ὅσιν τευμουλίην τὸ κέντρον ὠθεῖς*. Plutarch. *περὶ παιδῶν ἀγωγῆς*: parte 2. cap. 16. Lazius historicus in genealogiâ Austriacorum meminit duorum morionum & scurrarum, videlicet Otthonis Fuchs / qui propter odium rusticorum dictus fuit Neidhardus, & Wigandi à Teben, qui fuit Parochus Calenbergæ in Austriâ ad Danubium, quorum jocis admodum delectatus fuit Ottho Jocundus Austriæ Dux; ZWing. in Theatro. Nihil dico hoc in loco de Eulenspiegelio, Amadisio, Gryllenvertreiber / Gartengesellschaft / Kollwagen / aliisque hujus farinae libris, qui utinam lucem nunquam aspexissent. Hic verò quæritur, quid sentiendum sit de ludis scenicis, ut sunt comœdiæ & tragœdiæ, an ad scurrilitatem referri debeant? Rectè negatur, modò in moderatione persistant, id est, modò in ejusmodi ludis observetur comitas, retineatur urbanitas, absit omnis impietas, incivilitas & turpitude.

3 Urba-

AB.